TURRIS BABEL

SIVE

Judiciorum de Fraternitate Rosaceæ Crucis

CHAOS.

ARGENTORATI,

Sumptibus hæredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M. DC. XIX.

Viro Clarissimo,

D. HEINRICO HEINIO ROSTOCHIENSI U. J. D.

Amico in Christo exoptatissimo, S.

VIDE OPTIME HEINI, *quibus rationibus contra* Fraternitatem illam invisibilem *utar*, Famâ *scilicet* contra famam. *Interim multas ineptias evitavi, quas, ne, nihil agerem, huc connotavi. Non, satis feci, quod scio, multorum objectionibus: sed ne hoc quidem facere volui: id potius ago, ut tibi & amicis alijs consensum meum aperiam, simulqúe alijs ostendam, quomodo affectum in hac re vehementiorem effugerim. Veritate nunquã contradixerimus, quæ, vel nullo alio teste in Verbo DEI immoto prostat.* Ordini *autem alicui nondum satis perspecto, nondum explorato, nondum exa-*

minato nomen dare, nemo persuaserit. Pessima quæq; bonitatis famam habent: optima quæque malignitatis infamiã. Si mala circa nos sunt, amplectamur illa bona, quæ non desunt: & seculo hoc nostro admirabili ita utamur, ne absurda noceant: sed fruamur certioribus, atq; rationabilioribus. Feci ingenuè, quod potui, & inter tot conijcientes conjecturam meam addidi. Quæ si delinquit, quid mirum, cùm hodie tot fallantur & fallant? Christus te sibi ab omni errore servet, ac nos in se & ad se jungat! Vale cum amicis nostris, ac iterum salve.

à Tuo

J. V. A.

I.

Fama.

QVIESCIT ORBIS, otiantur homines, & inconcinnis fabellis tempus conterunt: ego quid ago, ludibriorum omniũ parens, ne agã nihil? itane defecit illud rumorũ copiæ cornu, ut nihil sit, quod hoc strepero foro in vulgus & turbam dispergã? Euge verò, quàm sese offert lepida materia, qua hiantia mortalium ora impleam, & intima desideriorũ penetralia eliciã. Placet, stat sententia, sic agam. Ehem Mortales, quotquot religionum dissidia, & politiarũ dissona, & literarũ tenebras, & morũ dissolutionẽ & humani generis compedes ægrè intuemini: quod felix fortunatumq; orbi terreno sit, adsũt in procinctu innumeri numeri *Fratres* multiscij, multipotẽtes, piissimi, probatissimi, sub *Roseæ*

Crucis symbolo uniti, qui dudum concepta optimorum quorumque vota supra vota adimplebunt, & terras vestras ab omni Idolatria, Tyrannide, Barbarie, & impuritate liberabunt: humano generi decus suum restituent: & perfectam aliquam ac florentissimã Monarchiam ex meris piis, bonis, & eruditis constituent. Quos si, uti decet reverenter exceperitis, beatos, ô beatos vos divites, sanos, sapientes, longæ vos futuros, atq; invictos! sin imprudenter & impudenter rejiciatis, infelices, heu infelices vos! quibus fœdâ morte erit intereundum. Nequid verò dubitetis, en vobis *Ordinis* admirabilis historiã, & *primi patris* icona, ne quid metuatis, en *Confessionem* religiosissimã, omnia inusitato stylo, & loquendi ultra humanã formâ exhibita. Legite, dijudicate, imò fores pandite, & adventantẽ *felicitatẽ* conveniente applausu excipite. Feci, quod jussa sum: vos, quod debetis, quodq; expedit vobis, facite: Valete. Fallor, an hominibus hanc prægrandem fabulam persuasi! murmu-

rant

rant nescio quid, & capita conferunt: mihi foro cedendum est, ne vel examiner scrupulosius, vel, quod omni testimonio caret probare cogar. Vos interim, si quid ludicri hæc Comædia dabit, animis adeste, & auribus.

II.

Curiosus, Supinus, Solicitus.

C. Quid hoc est, quod audio? Su. Quasi id nostra referat? C. Hem nostra, religionem, politiam literaturam purgatum iri? quod tam anxiè expetimus. Su. Non vacat omnibus surris aures præbere. Viderint nostri primates, quid rerum agatur. Cur. Hoc potiùs deceat civem bonum, stare in excubiis, & singulos quasi introeuntes & exeuntes annotare, observare gestus, pensitare verba, examinare merces, ut quid Reipublicæ de unoquoq; sperandum, metuendúmve sit, id exactè referre possit. Su. Vah laborioſum vitę genus, ubi in alieno te atteras, tui obliviscaris! quin potius ut quàm

minimè, quibus eges, emas: quàm maximo, quibus abundas, vendas, id cuas, & domum tum ære, tum cibo, nõ nugis onustus redis. Cur: Videris mihi humanæ voluptatis medietatem ignorare, quæ vere condimentũ reliquæ partis dicitur: scire nempe, quid rerum hinc inde in orbe agatur, quid hoc mirabile seculum secum vehat, quid posteritati exp ctandum, quibus de rebus, dum inter nos conferimus, quid nisi delicatissimè vivimus? Sol. Ecquid inter vos est dubij? Su. Ineptulus ille, nescio quàm procacem feminam audivit incredibilia narrantẽ, quibus jam mirè agitatur. Cu. Incredibilia verò? Esse *fratrum* aliquem *ordinem* qui *reformationem orbis* meditetur, eumq; ad hanc rem ingenio, opibus, viribus instructissimum: Jam in acie stare, jam alicubi visum, jam minas exauditas, non movear? Sol. Audivi & ego hanc narrationem, quam tamen haud maximi facio, nisi quòd Sathanæ artes semper metuendas pudarim, qui ex qualibet, quantumvis minimâ re occasio-

occasionem imposturarum sumit: quibus si non noceat Ecclesiæ, illud attamen, & mille artificem se ostendat. Su. Tanti mihi hæc res non erit. Cu. At ego in eam diligentiùs inquiram. So. Oremus potiùs Christum nostrum, ne quid contra nos Sathan vel serio possit, vel joco. Nam cum Christo, seria Sathanæ joco Fidei erunt: sine Christo quævis jocosa securitati nostræ nimis seria.

III.

Scrupulosus, Securus, Prudens.

Scrupul. Vix somnum capio, ita me angit *fratrum* ille *exercitus*, quem aiunt esse supra Xerxes, aut Tamerlani copiosissimum. Quid agemus, si ijs fortè Religio nostra, si Reipublicæ status, si literarum professio displiceat, an intereundum nobis erit? Se. Itáne insanis, ut putes ad nos usque hoc sive malum sive bonum pertingere posse: alij sunt obices, alia impedimenta, quæ

non sinent nos obrui: Interim nostra agamus. Se. Nescis tu, ah nescis, quã facile hoc *Reformationis bellum* suscipiatur, quàm deponatur difficillimè. Se. Vah! si quid universale meditantur, habebunt, quod in Mahomete, & Papa laborent: quos dum depugnant, liberũ nobis erit, de salute nostra consultare, Sin aliquam & nostram fortasse orbis partem tantùm aggrediantur, optimum est potentissimo hosti nos dare, expectare leges novas, atque sub recentissimo imperio obedienter & pacate vivere. Sc. Rides tu? at ego ringor, cui jam sanguinis torrentes, & tristissima orbis secum conflicturi facies in oculis est. Quis enim dubitet, sine atrocissimis certaminibus rem tantam, nimisque exacerbatos animos componi iterum posse? *Secur.* Vix dixero, cur me hæc cura minimè tangat, nisi quod soleo rem prius coram intueri, dein mihi prospicere, non moveri famâ vel rumusculis. *Prud.* Nónne & vos *fraternitatis* illius *fama* divídit? *Scr.* Ut quàm maximè: hic enim

enim rem usque adeò periculosam & momenti maximi negligit. Pr. Tu verò minis tantæ molis cruciaris? nónne? Sa. Utique. Sic enim decet, qui rebus præsentibus optimè vult. Pru. Laudarem solicitudinem tuam, si quid veri simile reformidares: nunc quia etiam monstrosa hæc, &, ut ita dicam, lemures metuis, nescio an te potiùs torqueas, quàm aliquod Reipubl. periculum prævideas. Unde si quis ad tua monita assurgat, & fores adventanti hosti occludat, nullo dubio paulò pòst rideretur, si constaret, unicâ recitatione hano tibi trepidationem injectam. Sec. Itaque in utramque ego aurem dormivero. Pr. Memineris tamen, prudenti sagacitate multa evitate, securo contemptu plurima esse deperdita. Se. Abeo, ut lectum sternam. Sc. Abeo, ut arma parem. Pr. Abeo, ut familiam curem, ne quid hac oscitantiâ honesti officij intermittatur.

IV.

Mobilis, Immobilis, Sequens.

M. Hem illud tandem est, quod volo: nunc vixisse demum juvat, nec sub pulvere majorum nostrorum fuisse elatum. Im. Iterum tu loco emoreris tuo, quàm nunquã pœnituerit. M. Quis non evolet hoc tempore, ubi alæ dantur, & cœli propemodum aperitur commerciũ? quis non relinquat sordes suas, inter quas hactenus laboravit. I. Nónne quod paulò antè sorduit tibi, subinde desideratum iterũ est: & quæ quondam intollerabilia accusata, post triduum excusationem, vel laudem etiam invenêre. M. Non pudeat, ut annis, ita rerum veriore æstimatione crescere, ne dum rem planissimè perfectissimam admittere. Quid enim, quid inquam, si post hac nihil errare, nihil indigere, nihil ægrotare, nihil nescire, nihil haborare, nihil canescere opus erit, nónne vel per errores eo emersisse allubescat? I. Hic sum, quo me

me loco Natura reposuit, ubi interdum declinem, interdum egeam, interdum morbos, ignorantiam, fatigationem, delirium etiam patiar necesse est, cui si reluctor, suaviter fortasse fabulari apud me liceat, nunquam vel latum unguem mea sede egredi, quæ tum demum mihi non molesta erit, si non arbitrij mei volubilitate, sed fati immobilitate ac decreto æstimem. S. Pax vobis! M. Ea jam imminet. Im. Ea semper mecum fuit. S. Neutrum capio. M. Eho an tu nescis *Orbis* adesse *pacificatores*? S. Et tu hoc somnium etiam somnias? M. Non te pudet dicere somnium, quod tot Vigilantij per Europã astruunt, quod singulis Nundinis velut clara tuba classicum canit? S. Ah te misellum, qui res tuas, non sanè intolerabiles, linquis, & ad novas nondum exploratas aures arrigis, vel verius carne ex ore dimissâ umbræ inhias! M. Nihil ergo supra aut ultra consuetudinem admittemus? S. Utique; sed non nisi ea, quæ candidè nobis oblata, cum nostris conferri, & deprehensa re-

tum, si fas est dicere, meliorationeaccommodari rebus possunt. Secus verò fit, si quæ verbis tantùm, & intricatissimis gryphis constant statim pro oraculis & res summas continentibus admittamus. M. Itaque tu nomen huic Ordini non das? S. Dedero, si meliorem nobis videro. Im. At mihi, quæ non mala, bona sunt. S. Nescis tamen, multos, nimiâ immobilitate suâ, renatâ luce, sibi & tenebris suis relictos esse?

V.

Astrologus, Calculator, Conjectans.

AHic nempe erat *magna* illius *conjunctionis* partus, ut novis Prophetis exorientibus, qui mores veteres alterarent & religionem conspurcatam rectificarent, Papæ & Mahometis tyrannidem labefactarent, ab ipso cœlo nobis incidarentur. Quid enim bone Deus! non admirer in dispositione cœli ad 20. Decembr. h. mer.

Anni

Anni 1605? quæ tam clarè & distinctè singula *fraternitatis* illius Regiæ beneficia & juramenta notat & exprimit, ut mirandum sit, supereſſe, qui de ea dubitent. Cal. Mihi quidem Cœlica illa literatura ignota est, sed certiorem in Naometria mea habeo, quæ jam dudum mysticis numeris Hierosolymæ restaurationem, Babylonisque ruinam evidenter prodidit. Quibus nunc *Rosei* illi & sancti *fratres* conveniunt, admirabili sanè consensu, ut illos ipsos esse dicamus, quos Abbas Joachimus, S. Brigita, Liechtenbergius, Paracelsus, Postellus, & illuminati alij, terris promiserunt. *Con.* Nunquam minùs de arte utriusq; vestrum sensi, quàm hoc tempore, quo video enormiter vos peccare posse. Nam dum tu *Astrologe*, cœlum ad hanc fabulam violenter rotas, & falsa etiã ibi consignata adstruis, quis non in verisimilibus tibi fidem etiam deneget? tu verò calculator, cùm te hactenus propemodum Prophetam jactitaris, & ultimæ ac maximæ commotionis Principes, nunc hunc, nunc illum,

illum, nunc aliquem alium, uti scilicet unus vel alter eminebat, deniq; fictitiam, ni fallor, fraternitatem constitueris, omnino suspicionem mihi dedisti, vanissimam aliquam & inanem tuam calculationem esse. *Astrol.* O frontem! cœli manifestissimas prædictiones negare? *Cal.* O os! certissimis numeris contradicere? *Con.* Cœlo nihil negaverim: tibi verò succenseo, qui mendacia etiam in cœlo legis. Ita sanctos numeros suspicio: sed quos ad hos *Cruciatos* nihil pertinere suspicor. Conjicio autem neque per cœlum, neque per numeros, hanc fabulam ab ingenioso aliquo excogitatam, qua curiosulos irretiret, Prophetas examinaret, hiantibus illuderet, deniq; de impostorum, si qui se actioni admisceant, malignitate ac impudentiâ certus esset, ac exinde inter mortalitatis crepera, cautior ambulare posset. *Astrol.* Væ mihi! si cœlum fefellit. *Cal.* Heu mihi! si numeri decipiant. *Con.* Benè vobis! si vel fabula vos veritatem tandem edoceat.

VI.

VI.

Querulus, Defensor, Confitens.

Querulus. Metus erat, si nos porrò taceremus, locuturos lapides. At nūc quàm opportunè intervenit veritatis & libertatis illa vindex *Fraternitas* quę nullo ullius hominis respectu mores vitiosos inclamat, & remedia singulis nostris malis promittit! *Def.* Semper tu ævū hoc nostrum accusas, quasi nunquam pejus fuerit, imò quasi non idem fuerit semper. Non utique difficilis Mundus est: sed tu impatiens, cui etiam bene constituta displicent, & sapidissima faciunt nauseam. *Defen.* Heu duram sortem, pati ac simul increpari! vapulare & rideri! quid? nónne Zizania frequens est in agro Domini? nónne spinæ obstipant justitiæ solium? nónne lolium opinionum obtegit cathedras? nónne urticæ dissolutionis occuparunt societatis humanæ hortulos? Et laudemus adhuc Mundum? excusemus?

ſemus? imò feramus, & audiamus. *De.* Quàm iniquiſſimus es! Tempus, quo Evangelij lux refulſit, Politiarum compoſitio reſtituta, literarum faces accenſæ, & elegantiæ omnes terræ quaſi redditæ ſunt, tu malum & durum appellare audes! dignus equidem, qui vel Antichriſti verbis, vel Turcicis verberibus, vel Barbaris vepribus cohercearis, ut tum demum æſtimare ſeculi hujus felicitatem incipias, cùm ſuperiorum infelicitatis aliquam parte deguſtaveris. *Con.* Fallor, an hic eſt aliquis, cui Mundus placet? *Quer.* In tempore ades, ut hunc increpemus, qui uſque adeò comptulos nos ait, ut nihil illis perfectiſſimis *fratribus* opus habeamus. *Con.* Miſeros nos, ſi expectandum ſit, dum illi Mundo inveterato juventutem reddant! *Quer.* Eho! an tu dubitas, tandem adeſſe, quos tot noſtræ querelæ excitarunt? *Con.* Quæ illæ querelæ? *Quer.* Obſtupeſco! quaſi in ſingulis vitæ ordinibus deſit, quod accuſemus, deſideremus, increpemus? *Con.* Sunt equidem infinita,

quæ

quæ hanc vitam noſtram imperfectionis convincunt, & ad perfectionem illam, quæ in cœlis eſt, aſpirare ſtimulant: ſed nequaquam vel Deo gratum, vel homini decorum, perpetuis querelis, & Mundi inſectationibus vitam abſumere potiùs, quàm Fidei & patientiæ exercitiis. *Def.* Habésne, cur in hoc Mundo acquieſcas? *Quer.* Nondum. *Con.* Sed nec Deus unquam ſinat, ut in hoc vanitatis emporio quicquam nobis ſolidè ſatisfaciat, aut animum expleat: quin potius certi ſimus, omnia hîc vitium ſuum aliquod habere: ſed quod vir bonus ac prudens ſemovet, declinat, evitat, aut certè ita admittit, ne ſimul animæ ſuæ vitiũ adferat. *Def.* Vivamus, dum vivimus. *Con.* Ita tamen, ne poſt hanc vitam ævitei nũ nobis moriendum ſit.

VII.

Ciniflo, Agyrta, Philoſophus.

Ciniflo. Deſperare potuiſſem, niſi *Chymicus* eſſem. Nimis enim *Natura* ſeſe ſubduxit diu, nimis eluſit artifi-

artificia mea sæpè. Nunc, quod benè vertat, captivam tandem eam habet illa Macrocosmi obstetricia *Fraternitas*, quam in vinculis suis intueri gestio. *Agyrt.* Quis ille *Carbonarius*? *Cinisio.* Fallor, an etiam hic Naturæ aliquod deliciolum intueor? *Agyr.* Quò imus, ô bone? *Cin.* Si quidem pergamus, ad Beatitudinis regiam. *Agyr.* Atqui inde ego exeo. *Cin.* Túne Regiam videris? *Agyr.* Ego non viderim, qui haud paucis septimanis *Fraternitati* illi hospes & convictor adfui, quæ ex meris purisque Regibus constat? Vidi palatia plùs quàm Imperatoria, vidi gazas Crœsi majores: vidi, quid verò vidi? audivi, inquam, Musicam planissimè olympicam. *Cin.* Crediderim. Nam & mihi cùm duo nuper *Ordinis Fratres* seniores adfuissent, & de *transmutatione metallorum*, ac ipsissimo etiam *Azoth* satis prolixè mecum contulissent, omnia visa sunt regia, Cæsarea: usq; adeò *aurum* nihili faciunt: & massã haud credibilis ponderis ad pedes meos abjecerunt. *Agyr.* Nónne verò

verò id aurum tuâ præsentiâ fabrefactum erat? *Cin.* Maximè, ac, quod magis mireris, ex nullo subjecto alio, nisi *aëre*, quem condensatum, & *benedicto pulvere* tinctum in orientale aurum transmutarunt, facturi vel integrũ hypocaustum aureum, si admisissem. *Agyr.* Ferendum id erat. *Cin.* Haud ædepol, si sapimus. quis enim nos Magnatibus eripuisset, si res innotuisset? *Agir.* Potuissent iterum in aerem omnia resolvi. *Cin.* Nescis tu, nos aureum in minimis habere, neq; seriò indagare: sed delectari potiùs *Universali* aliqua *Magnesiâ? Agyr.* Apparet. Nam rarissimè auro conspicuus es, fuligine semper, fabúlis inseparabiliter. *Cin.* Etam maledicis, sycophanta? *Agyr.* Sic decet hominem, qui societati illi magnificæ non displicet. *Phil.* Egregium par! quod mendacijs vivit ipsum, & alios pascere satagit. Hem tu Chymice, acquando fidem liberas? *Cin.* Ut me cœlum & terra amet, mendacius. *Phil.* Undecembri, opinor. Non te pudet, toties etiam juratum esse

mentitum? non te pudet, tot jactantias reſorbere? *Cin.* Nunc demum illa, illa, illa Fraternitas dabit finem. *Phil.* Funem citius, quo omnino dignus es, qui & ætatem tuam m, & nummos, & alienam credulitatem, deniq; omnem conſcientiam concoquis. *Ag.* Hic homo planè incredulus eſt. *Phil.* Itáne etiam tu ſuperſtes es, nec pendes, qui naſo, quotquot curioſitatis aura delectantur, ſuſpendis? *Agyr.* Audiat hæc auguſta fraternitas, & ulciſcatur! *Cin.* Prodeat aurea fraternitas, & indociles hos coarguat, ac convincat! *Phil.* Hoc vos ſanè decet, ut, qui toties fumos vendidiſtis, *Fraternitatis* illius *Caminarij* communi conſenſu eligamini.

VIII.

Mendicus, Impoſtor, Animadvertens.

Mendicus. Beneſit vobis, ubi ubi ſtis, *Roſecruciferi Fratres*, quotum beneficio minùs eſurio, & rariùs! Nam

Nam cùm jam nihil ultra esset, quod delicatiorum palato supereſt, *Fama* vestra, & Famæ continuatores acuerunt iterum ac irritarunt gustum. Nũc *Echo*, *Pandora*, *Clypeum*, *Fortalitium*, *Silentium*, *Speculum*, & quæ alia urbis *Vtopiæ* phantasmata sunt, apud filios disciplinæ, & arcanorum socios magnã intromissionis facilitatem, susceptionis promptitudinem, alimentationis liberalitatem conciliant: quibus dum ego lepidarum recitationem & relationum condimenta addo, parum abest, quin in media mendicitate diteſcam. *Impo.* Dum mundum peragro, *Rosicrucigerorum sive coadiutor, sive notarius, sive emissarius, sive conquisitor, sive quæstor*, nescio an plures viderim credulos, an dubios, an obstinatos: usque adeò orbis tripartitus est. *Men.* Salveto, vir optime, &, quod conjicio, in rebus tertij status non peregrine. *Imp.* Scin tu, cùm quo loquaris? *Men.* Viro aliquo quántivis precij. *Imp.* Hoc rectè quidem: sed memineris, esse *Philosophum, Philologum, Theologũ, Theosophum*

ſophum, Medicum, Chymicum, Eremitam, Fraternitatis inviſibilis Coadjutorem, Antichriſti hoſtem intractabilem, & quod ad rem maximè facit, etiã *Poetam. Men.* Papæ, quàm itaque tibi & licet, & facile eſt fingere! *Im.* Non lubet jocari, cùm ad ſeria natus ſim. Tibi hoc edico, ne quid temerè reſiſtas *Friderico Barbaroſſæ* ultimæ phalangis in terris Imperatori, jam ocreato, jam pranſo, & ex *Tyrolis* abditis emergenti. *Men.* Cohorreſco. *Imp.* Id magis diceres, ſi mecũ fuiſſes intuitus arma ex adamante, gladios ex carbunculo, omnia ferramenta ex auro. *Men.* Illéne ſolus, an cum ipſo alij quidam? *Imp.* Quidam, ais? imò mille myriades ſub diverſis Ducibus Caloro Burgundo, Balduino Flandro, Merlino Anglo, Danheuſero, & innumeris alijs. *Ani.* Itáne nulla compita ab hac hominum fece immunia ſunt? En alterum petacem, alterum mendacem. *Men.* Te ipſum optaveram, vt primùm inuſitatorum libellorum copia mihi: ſed haud minimo facto eſt. *Ani.* Apage illas

tuas

tuas nugas, quibus rectum ingenium, velut tabaci fumo, opples. *Men.* Cave hoc dixeris: nescis, à fraternitate aliqua me habere? *Ani.* Illáne, sub cuius larva, quisquis maculare bonos, ridere integros, fallere simplices, spargere temeraria non dubitat, prodire incipit? *Im.* Perge, perge, sanctiss. Fraternitatis innocentiam vindicare. *Ani.* Hoc tuum erit, qui jam longo usu ex omni materia mendacium, quàm ex luto ollam Figulus, fingis faciliùs. *Imp.* O injuriam in pietatem meam! *Ani.* Eam nempe quæ ex omnibus Religionibus conflata, ex omnibus opinionibus cōsuta, ex omnibus vanitatibus congesta, id unum ad pauciſſimas horas probat, quod ventrem saturat: mox verò in omne maledicendi & calumniarum genus resolvitur. *Imp.* Abeo. *Ani.* Hoc unum prudenter agis, quod uni loco non diutiùs immoraris. *Men.* Nec libellos meos inspicies. *Ani.* Cùm optimas horas pessimè perdere libuerit.

IX.

Hypocrita, Impius, Pœnitens.

Hypocr. Nescio, an unquam curiosiores fuerint homines, quàm hi nostri, qui omnia examinant, omnia introspiciunt, omnia evolvunt, ut vix posthac apud te habitare, & internire-gni solus esse conscius possis. Præterea vitam usq; adeò scrupulosè instituunt, ut vix ridere ultrà, edere vel bibere nobis sint permissuri, quasi ante nos nemo personam suam egerit, nemo frontem diduxerit. Sed videamus, quid denique hæc Catoniana *Fraternitas* allatura sit tetrici. *Imp.* Non sufficit ergo audire concionum invectivas, & fori morsus, tum exactorum nostrorũ tribunitia verba, nisi etiã ordo aliquis novus nobis compedes moliatur, qué ex orco ad subjugandam amplius terram emissum crediderim. *Hyp.* Mirum sanè non est, illos tuos incõpositos mores reprehensioné mereri, sed quod in piam etiam hilaritatem, in liberalé parsi-

parsimoniam, in amicas lites, in honestam licentiam, in compositas relaxationes sibi judicium sumit, & uno eodemque ore superiores & inferiores, religiosos & prophanos, literatos & illiteratos impetit, planè intolerabilis est. *Imp.* Meo judicio nec præconum verbi & legum, nec ducum doctrinæ & morum indigemus, quibus tantùm imperare hominibus volupe est, ut jam superaddere illos rigidos censores, insanum sit: quos si admittimus, perditi sumus. *Pœnit.* Gratias tibi ago, Clementissime Deus, qui me quoquo modo officij mei admones: sed hem aliquos præsentes. *Hyp.* Nempe & tu intemperiem fraternitatis illius accusas. *Pœn.* Roseæ Crucis inquis? *Hyp.* Illius certè. *Pœn.* Debeo illi nonnihil, quæ aliud agens morum inconcinnorum me admonuit. *Hyp.* quasi eius sit, nobis, quid deceat, præscribere. *Pœ.* Tibi sanè nemo hominum leges, quæ placeant dabit, cùm ipse tibi numen sis, ipse tribunal, ipse veritatis puteus, alioquin nihilo cæteris melior: sed fuca-

tior. Itaque meritò iraſceris, quotiescunq; vel tenui ſibilo conſcientia tua in apertum producitur. *Imp.* Ha, ha, he. *Pœn.* Quid tu rides? *Imp.* Stoliditatem veſtram, qui, dum fingitis & refingitis vitam veſtram, conſeneſcitis. *Pœn.* Mihi id Deus det, ut quavis occaſione in melius muter, &, quæ malè acta ſunt, pudens, ac pœnitens poſt me relinquam. *Hypoc.* Alia ſunt, & alij, qui hæc doceant. *Pœn.* Mihi tamen id notabile erit, usque adeò vitiis vos obſitos, ut qua parte fortaſſe optima eſt, hæc, ni fallor, fictitia fraternitas vobis diſpliceat.

X.

Scriptor, Lector, Meditator.

Script. Non patiar, hanc fieri ſeculo noſtro injuriam, ut Magi aliqui fratres Paracelſici univerſo, etiam politiſſimo Mundo obloquantur. Atque en pectinem mecum, en lixivium, quibus purgavi ſordida capita. *Lector.* Hic ne ille polygraphus eſt, literatorũ *Terminus*

minus, qui nemini cedit. *Script.* Supereſt, ut Mundus jam pæana canat, ob devictos turbatores, libertatem reſtitutam, obq; firmatum denuo Philoſophiæ Capitolium. *Lect.* Licétne te alloqui, Philoſophorum diſertiſſime? *Script.* Hoc eſt, quod volo, ut vivus & mortuus tecum colloquar. Sed quid nunc legis? *Lect.* Vah! quid aliud, quàm *ultimæ reformationis* delineationes & ſchemata, quæ nobis cum illa ſapientiſſima fraternitas communicat? *Script.* Non prohibeo, hæc legas: ſi tamen perſpicilia mea naſo adeptes, quæ te introducent ad huius manipuli penetralia. Videbis enim, eſſe Necromanticos, fanaticos, Münzerianos, Cabaliſtas, Chymicos, aliasque Reipub. peſtes, quas mirum eſt, nemine prohibente, in media Imperij adyta audere proſerpere. *Lect.* Adeóne mali ſunt, quos ego ſimpliciſſimos credidi? *Scr.* Lege hæc mea, & probabis ſagacitatem, qua ex tenebris & latibulis ſuis ego eos extraxi. *Lect.* Jam dolet, imminutam apud me eſſe eorum autori-

tatem, qui me toties oblectaverant. *Med.* Præfiscine! Scriptor adest. *Scr.* Jam tibi, opinor, innotuit, quod bellū cum scelerata gente animosè geram. *Med.* Nescio quàm animosè: cùm neq; hostem neq; adversarium habeas, quàm teipsum: est tamen sui victoria maxima. *Scrip.* Non tibi probantur meæ conjecturæ? *Med.* Quid agam, cùm neminem fratrem vel audiam, vel videam, vel olfaciam, qui accusationibus tuis conveniat. *Script.* Itáne sordet tibi eruditio mea? *Med.* Non ædepol: sed miseret in chimæris & Non-Entibus per tot Andabatarum ictus esse fatigatam. *Script.* Quid si prodeant? *Med* Quid si non prodeant? *Script.* Quid si mussitent? *Med.* Quid si nuspiam sint? *Script.* Tum ego ringar. *Med.* At ego ridebo, præstat igitur inter ancipitia suspendere judiciū, quàm cum famæ periculo præcipitare. *Scri.* Dedi stimulos, qui vel mortuos excitent. *Lect.* Mihi interim jucundum est; vestris altercationibus assidere. *Med.* Cave tamen ita legas, ut te ex bono-

bonorum numero ipse releges.

XI.

Otiosus, Laboriosus, Artifex.

Otiosus. Vix patior moram, dum Nundinæ adveniant, ut, quid insoliti nobis illa fraternitas parturiverit, rescîscam. Nec enim, scio, silebunt toties vocati suppliciter, toties etiam provocati contumeliosè. *Lab.* Heu vitam longam, & artem laboriosam, cuicunque hoc meo exemplo vivendum est. Nam ut vitam extraham, quid non corpori imponendum? quid non vitalitatis atterendum? Ubi sunt verò illi hiatores, & promissores, qui sine fatigatione modò non montes transferunt, & convalles complanant? *Otios.* Quid audio? etiam huic homini fraternitas innotuit? Heus, bone, vir, ecquid fers novi? *Lab.* Id quidem vos otiosos scire par est, quorum laborare est otiari: quorum otium labor est. *Ot.* Nunquid verò fraternitas artificiosa tibi audita est? *Lab.* Fuêre aliqui nu-

per nobiscum, qui immane quos? homines descripserunt. *Otios.* Scilicet volatiles, natatiles, incombustibiles, incomprehensibiles, præter ea, quæ in hominibus summa esse possunt. *Lab.* Ita per Mercurium! nunc dolet nuspiã illos patêre, ut laborem mihi minuant, vel augeant vires. Ajunt enim, posse, quot velint, virorum vires uni infundere. *Otios.* O felix seculum, quod hominem propemodum humanitate eximit, & in orbis terreni imperium restituit! sed quam capessimus viam, ut admittamur? *Art.* Placet hæc ætas, quæ omnes artes, mirum quantum, expolit, & ut medij seculi sordes excussit, ita ad priscum ævum semper propiùs appropinquat. *Otios.* Quàm exoptatè in hunc artificem incidimus, cui nullo dubio jam cum illa fraternitate aliquid commune est! *Art.* Quid tu vigilans stertis? *Otios.* Jam paratus sum manus dare, si ad artium illud Rosecrucianum centrum conducas. *Art.* Malè sit illis languidis & enervatis manibus, quibus non nisi ineptias con-

trecta-

trectare libet. *Lab.* At meas calloſas non aſpernaberis. *Art.* Utinam laboris pertinaciam cum ingenij indagine conjungeres, & oculis ſurſum etiam, non ſemper deorſum utereris, ſatis tibi ſplendidum & varium hoc artium amphitheatrum appareret, neq; opus foret Amadiſianas ſtructuras expetere! *Otioſ.* Durus es, qui ſpem auream abſcindis. *Lab.* Et ad ſudores iterum remittis. *Art.* Sic dabitur, ſi quisquam fabulas audire, quàm rationis humanæ opera, & Naturæ facilem converſationem experiri maluerit.

XII.

Facilis, Difficilis, Tolerans.

Facil. Ain' verò, omnes hosce fratres dignos ſuſpendio? *Diff.* Etiam rotis, flammis, fluminibus deberi. *Facil.* Quid autem in Repub. turbarunt? *Diff.* Propemodum omnia. Nam Fidei noſtræ fundamenta impetunt. Magiſtratus authoritatem convellunt, venditorum famã peſſundant

consuetudines probatissimas tollunt: & quid non sunt aggressi? *Fac.* Equidem ex Musca Elephantem facis. Nec enim ego eiusmodi, vel per maximas consequentias, reperio. Potiùs crediderim, voluisse aliqua nostra in dubiũ vocare non seriò, sed disputandi & conferendi gratiâ. *Diffic.* Nolim ego his disputationibus locum dari, quæ dimidiam propè hominum partem occuparunt, ut à seditione parùm absimus. *Facil.* Bona verba quæso. Quis enim tibi credat, rem in tanto periculo versari, cùm nusquam vel minæ appareant: sed satis habeant, semel se mundo obtulisse, fortasse non comparituri, si audiant id tibi tantopere displicere? *Diff.* O unus saltem illorum in manus mihi detur, docerem, quid esset, Antiquitatis decus impetere! *Facil.* At ego talem aliquem maximo honore afficerem, & reformandis ædibus meis religiosissimè adhiberem. *Tolet.* Quàm sumus, bone Deus, dispares! en lupus cum agno, morosus cum facili, ecquid vobis satis inter vos convenit? *Fac.* Sic,

ut

ut ſemper. *Diffic.* Quis non excandeſcat, hodie licere, quod omni ævo fuit illicitum, ſcilicet omnes ſtatus humanæ vitæ in dubium vocare. *Facil.* Hic homo mitiſſimos Fratres de Cruce roſea metuit. *Toler.* Quæ noſtra ineptia eſt, veram liberatam noſtrã ſponte perdere, dein metuere vincula, & ijs ſuccenſere! *Diffic.* Quid hoc eſt? *Tol.* Hoc nempe, quòd hoc fraternitatis figmentum primò animo intromittis, dein cum ipſo furiosè decertas: quo utroque potuiſſes abſtinere facilimè, vel ſanè iram differre, dum certius aliquid ea de re conſtet. Atque ita appareret, maximum rebus ineſſe pondus, ſi animum occupent, leviſſimas è contrà & tolerabiles admodum eſſe, ſi foris corpus tantùm ambiant. Mihi certè quæ alijs magnæ molis creduntur, exilia videntur: quæ alios deprimunt, vix humeros ſtringunt. *Facil.* Nunc mihi magis placeo, qui minùs in hac vita angor. *Toler.* Sed noli obliviſci, conſimilis erroris eſſe, rebus leviculis delectari, ac ijſdem onerari, cùm id demũ

fortissimi hominis sit, rerum humanarum, quæ nunquam desunt pondera libertatis Christianæ machinis elevare, & robori corporis animæ artem addere.

XIII.

Admirator, Contemptor, Aestimator.

Admirator. Homo homini quantum præstet, nunc demum intelligo, cùm stupenda illuminatissimæ Fraternitatis opuscula lego, quæ, ut ille nihil se scire professus est, ita hanc nihil nescire palam evincunt: usque adeò hominum & priscæ & novitiæ dotes in unum collegium confluxisse videntur, & humanitati quinta essentia extracta. *Contempt.* Nunquam ne desines admirari stolidissimam tuam fraternitatem, quæ tot monstra, tot absurda, tot ridicula etiam habet, quot verba, ut ne vigilantem quidem scripsisse opiner: sed somniatorem aliquem sibi & aliis illudentem? quæ narrationis con-

confusio? quæ frequens contradictio? quæ dissolutio est, ut omnino pateat societatis ineptia? *Admirat.* Hæc tu pro captu tuo: ego autem accuratius introspicio, & spiritum sublimiorem olfacio, qui sub his involucris mysteria maxima cõtinet, & artium complexus inusitato modo proponat. *Con.* Jurarim, ne ipsos quidem scriptores semet intellexisse, ne dum gustasse aliquid in abstrusioribus rebus solidi, minimè verò id, quod tu divinaris, voluisse. *Aestimat.* Quò magis in hanc fraternitatẽ inquiro, eò mihi lusus videtur artificiosior. Habet enim nescio quàm epitomen humanorum desideriorum, quod erectioribus ingeniis salivam moveat ea impetrandi, in quibus jam dudum defudarunt. Et verisimile est, ingeniorum concursu sive societate, si ea ex selectissimis & perspicacissimis constet, aliquid tale posse exhiberi, quod captum nostrum superet. Talem verò jam esse, nondum mihi persuaserunt, tum quia nimis vel temeraria, vel humilia etiam proferunt.

Admirat. Qui fit, amice, quòd ægrè te fraternitati ſubijcis, cui tamen minùs iniquus es? *Aeſtimat.* Quia confictam ſuſpicor, nec niſi ab impudentiſſimis hiſtrionibus continuatam. *Ad.* Quî poſſit res tam ſpecioſa, tam etiam cordata fingi? *Aeſtim.* Qnid ni? ſi ideam qualemcunque credas literariæ alicuius ſocietatis, quæ dotes ſuas conferat, & artes hinc inde per orbem diſperſas colligat. *Admir.* Nihil agis: uſque adeò me profunda horum eruditio abripit. *Aeſtim.* Te utique crediderim, at verè eruditos nõ item. *Com.* Eant in malam rem, quotquot uſitata dedignantur. *Aeſtim.* Hic morbus tuus eſt, non judicium: Mihi verò placeat ingeniorum rariorum luſus etiam introſpicere, & dijudicare, quæ rarò ita nugantur, ut nullos ſerij conceptus aculeos nobis relinquant.

XIIII.

XIV.

Credulus, Suspicax, Examinator.

Credulus Jacta est alea. Obtuli me Fratribus amplissimis, illuminatissimisque, verè amicis DEI, possessoribus Mundi, æmulis Naturæ. Audiant, ô audiant humilimas meas preces, & in extimum beatissimæ societatis circulum devotissimum clientem admittant! *Suspic.* Hem Rosecrucianissimi Canditate meritissime, nondum, nondúmne ex Olympo literas admissorias habes? *Credu.* Etiam tu rides, omnium qui vivunt tuæ opinionis pertinacissime? Sed memento, dum spes supereſt, satis esse homini ad felicitatem aspiranti. *Suspic.* Vah quàm suspicor, preces tuas risui fore, spem inanem, indignationem certissimam! quid enim te ferant, quos ajunt non nisi optimates terræ suscipere? *Cr.* Et tales quidem ij sunt, qui virtutem, artes, pietatem, cujuscunque sint ordinis

dinis, colunt. Tales passim alij auditi, & inscripti sunt: talem ego me candidissimis literis profiteor. *Suspi.* Quæso te, quis tibi fiduciam dedit, ut nunquam visam, nunquam satis auditam, nedum exploratam societatem divinis prope modum titulis, & summis elogiis ornares, supremam scientiam, perfectissimos mores, cœlicam conspirationem ei liberalissimè & cumulatissimè tribueres, cùm nondum in propatulo sit, quid ea medelæ, aut scientiæ excellentioris rebus nostris attulerit? Facile quippe est infinitam scientiam jactare: rariorem verò aliquam probare difficilius est, quàm mihi animadvertisse videris. *Cred.* Secutus sum in eo judicium eruditorum aliquot, qui non erubuerunt suam agnoscere imperitiam, nec dubitarunt illorum fratrum inauditam extollere sapientiam. *Exa.* Si bene olfacio, Rosicrucianum quid odoror. *Suspic.* Nihil aberras. nam hic habes hominem oculis sursum elevatis, manibus expansis, evolaturum scilicet, si quis det signum, *Exam.* Noli mihi

mihi conculcare optimum virũ, quem vanitatis humanæ tædium, & tot rerũ humanarum eluſiones abiturientem fecerunt. Ego enim ſpero rebus non ex voto ſuccedentibus facilè ad patientiam rediturum: interim commendemus in eo mali nauſeam, melioris appetitum, nec lividis ſuſpicionibus integritatem eius oneremus. *Cred.* Sperare liceat. *Suſpic.* Ut vinculis his exemptus omnifariâ licentiâ exorbites. *Exam.* Itáne felix ſuſpicionibus es, ut non in ſingulos dies habeas, quod revoces, quod immutes, quod tibi exprobres ipſe. Sed bene habet, cum ſuſpicionibus nemini niſi tibi æque moleſtus & importunus ſis. Interim credulos monebimus, ne quid, cujus pœnitere vel pudere aliquando poſſit, ſine maturo & diuturno examine admittant.

XV.

Audiens, Videns, Credens.

AVdiens. Jam ſatis opinor ad fidem eſſe poterat, tàm conſtante & ſtre-

& strepera fama de Fraternitate illa mirifica admoneri: sed quod tu, cui diffidere non licet, ipse Fratrum aliquē vidisti, & allocutus es, id quomodo posthac inter homines dubium esse poterit? *Vi.* Ego verò his oculis meis Wezflariæ vidi, cōtuli cùm homine, obstupui? *Aud.* Non desunt etiā alij, qui historias consimiles adferunt: sed tu mihi instar omnium eris. *Vid.* Testor, & ubique testabor, rem ita se habere, adfuisse Medicū, mira fecisse, linguas calluisse, deniq; semet Fratrem huius ordinis esse professum. *Aud.* Quid nunc respondebunt, qui hactenus rem ut inanem neglexerunt? *Vid.* Ipsi viderint: mihi certè anima prope extra me rapta est. *Audiens.* Superest, ut diligentiùs eorū scripta audiamus, pensitemusqu : at mihi nescio quàm aliquot insulsi libelli displicent, velut manifestissimè supposititij. *Vid.* Certè illius eruditionem, quem ego vidi, nihil redolent: imò scurriliter potiùs & cœlo & terrâ, ac innoxiis aliquibus abutuntur, cætera supra modum bilioſi. *Aud.* Quid autem

autem ſuades, ut de omni negotio illorum certius aliquid cognoſcam? *Vid.* Terram obambulato, ſi fortè in aliqué fratrem incidas. Nam ſi eo, ut fertur, numero ſunt, vix angulus orbis absque fraterculo erit, ſi non fratre. *Credens.* Certè is ipſus eſt, quem fama eſt vidiſſe Roſicrucianum aliquem. Salve, ô beate! *Vid.* Ridesne? *Cred.* Quis te rideat, qui cum Thoma vidiſti, & tetigiſti? *Vid.* Anné verò ab incredulitate tua liber es? *Cred.* Nondum equidem. eſt enim ea Thomæ denſior, ſcilicet cui vix decem viſiones, ne dum una atque dubia apparitio, ſuffecerint. *Vid.* De me dubitas? *Cred.* Ita: an non ludibrio aliquo deceptus ſis: cæterùm integritati nihil derogo *Vid.* Quî poſſim vigilans, præſens, intentus. *Cred.* Variæ ſunt Satanæ artes, varia etiam Naturæ ludibria, varia artificum & hiſtrionum dexteritas: ego tamen nihil pronuncio, quâ arte vel dexteritate morbus depulſus ſit. Hoc unum metuo, non ſatis hunc caſum eſſe, ad aſtruendam illam occultiſſimam fraternita-

nitatem. *Vid.* O lapideam incredulitatem! *Cred.* Potiùs Christianam Fidem, quæ nec revelationibus, nec recitationibus, satisfidit: sed consensu & testimonio S. Spiritus constat: unde nemini, quantumvis speciosо, nisi Deo monitore, se concredit, donec palàm, & in clara luce constet, rem, quæ offertur, aut qua invitamur, ad beatam veritatis concordiam infallibiliter conducere. *Vid.* Credísne, an non credis? *Aud.* Ego hæsito. *Cred.* At ego nemini, nisi verbo Dei, me credere, ingenuè profiteor.

XVI.

Deformator, Reformator, Informator.

Deform. Qui res omnes ex præscripto & legibus administrant, næ illi mihi nimis abjecti sunt & humiles quin potiùs vivimus, ut tempori indulgeamus, & quam in partem illud inclinat, ibi incumbamus, frustra enim renitemur, nec nisi nosmet ipsos demergi-

mergimus. Hoc est, quòd hujus seculi moribus me adapto, parùm solicitus, quid ante me actum, quid post me agendum sit. Exuitur Ecclesia hodie: amovebo & ego laciniam. Dissolvitur Politia: amovebo & ego vinculum. Conturbantur mores: movebo & ego camarinam, expellitur virtus germana: promovebo & ego discessuram: idque planè Fraternitatis illius reformatricis securus. *Refor.* Hic ille est factionis pestilentissimæ primarium membrum, quæ Saluti Publicæ, superiorum conscientiæ, inferiorum fidelitati, prudentum solicitudini, fortium robori, religiosorum puritati, eruditorum sapientiæ, optimorum meritis, ingeniosorum patrocinio insidiatur, & quocunq; potest loco, detrahit: è contrà tyrannidi, Hypocrisi, & Sophisticæ fores pandit, ut jã propemodũ nesciamus, quid credamus, cui pareamus, quo ducamur, & maximis suspiriis ad supremam illam orbis Reformationem aspiremus, cujus spem peramplam Fraternitas augustissima fecit. nõdum verò opus ipsum.

exhi-

exhibuit. *Inform.* Beatam Rempub. quæ nec privato quorundam commodo corrumpitur cum posteritatis injuria, nec cerebrosorum ratiocinatiunculis subinde periclitari cogitur cũ præsentium exagitatione: sed singulis boni publici curam insinuat & commendat, ac majorum experimentis innititur! *Deform.* Quid tu mihi obgannis? ut clericos v. stros, scribas, cerdones, & eiusmodi bruchos potiùs audiamus, quàm Divûm genus. *Reform.* Itáne nemo cordatus supereſt, qui hanc linguæ petulantiam, frontisque audaciam coherceat? *Inform.* Falleris, quisquis torrentis impetum obstruere conaris: hoc potius meditemur, quî moram aliquam in turo feramus, dùm hæc parum dura tura aqua se effundat. Interea auditores, civ s, liberos, & discipulos nostros ita informemus, ut Divina judicia, quæ vel temerariæ corruptioni, vel intempestivæ emendationi, id est, vitiosæ & deformationi & reformationi irrogari solent, animadvertant, venerentur, & in maximas sive axiomata

huius

hujus Mundi convertant. *Defor.* Vapula tu, ego feriam: uter citius fatigabitur? *Infor.* Vidi tamen nonnunquam percussorum baculos opinione citiùs confractos. *Refor.* Non patiar impunè mihi injuriam fieri. *Infor.* At ego rem omnem ad posteritatem integrè deferam, quæ finito servitutis tempore, & restitutâ libertate habebit, ni fallor, informationi gratias.

XVII.

Sciolus, Barbarus, Sapiens.

Sciolus. Quàm iniquè nobiscum egit hucusq; Philosophia, quæ corticem nobiscum communicavit, nucleum abscondidit: nam quæ verioris sapientiæ sunt, ea nos omnia latuerunt, scilicet Spirituum commercium, Naturæ concentus, signatura rerum, Cabala linguarum, Anatomia creaturarum, opera constellationum, medicina characteristica: & infinita alia, quæ admiranda nostra Fraternitas nobis reduxit, & ab injuria vindicavit.

Barb.

Barb. Satis, opinor, affligitur Mundus Cicerone, Aristotele, Galeno, Justiniano: nec opus est Mauris, & Arabibus nugatoribus: atq; utinam nec Reuchlinum, nec Erasmum Germania nostra unquam vidisset! haberemus utique sub antiqua simplicitate & rectitudine melius, tutius, expeditius. *Sap.* Vaccam oportet fuisse matrem tuam: ita mugis, hoc potiùs decebat precari, ut, quæ inchoata est ab iis, literatura perficiatur, & fastigium suum impetret, quæ enim nobis desint, vel unica fraternitatis *Fama* tibi dixerit. *Barb.* Si quid precibus meis daretur, exorarem utiq; rei literariæ interitum, quæ tot nobis labores, tot etiam capitis rationes invexit, ut sub librorum mole deficiamus. *Sciol.* Ad haram, ad haram: neque enim aliter, quàm fœno pascêdus es. *Sap.* Enimvero suos etiam ortus, suosque occasus habent literæ: nam quæ ante seculum renatæ sunt, nescio quàm senescunt, ut jam propemodum delirent. cujus culpam curiosis aliquot debemus, quæ non contenti solidâ aliquâ

quâ eruditione, volatile quid affectant. Qui morbus religioſos juxtà ac prophanos invaſit, ut neſcio quàm occultam, lubricam, allegoricam, myſticam, abſtractam, harmonicam literaturam affectent, nihil minùs tamẽ, quàm priſcos illos Heroas aſſequantur. *Sciol.* Si rectè audivi, de literis tibi ſermo eſt. *Sa.* Certè & de literarum corruptoribus, quorum in numerum, eſt, cur te recenſeam. *Sciol.* Corruptorum verò, dum literarũ augmenta ut qui maximè appeto ac procuro? *Sap* Sanè: verùm eâ viâ quæ certiſſimis laqueis, & inevitabilibus tenebris eã involuit. nam quæ tibi occultior philoſophia eſt, ea mihi etiam ſpecus & antrum infernale creditur. *Barb.* Vah quàm literati ipſi ſeſe excolunt, & ſolantur! *Sa.* Per te nunquã ſtabit, quo minùs religionis caligo, politiæ tenebræ, hiſtoriarũ fumi, artiũ fuligo, morũ nebulæ reducantur, qui in rem precioſiſſimã, literaturam, es injurius. *Scio.* Hem nihil ne novi habes de *Roſeis fratribus*? *Sa* Hoc habeo, nihil potuiſſe tui ſimilibus prodire aptius,

nihil etiam ad hebetandū illud glorioſulū acumen, certius & convenientius.

XVIII.

Aeger, Sanus, Medicus.

Aeger. O mi Deus, quàm vana eſt Medicinę jactantia, quàm temerariæ artis pollicitationes, ut quæ tot annis me doloribus meis relinquunt, neque vel mitigationem, quam undiq; ſpondent, adferunt! Itaq; dum undiq; anhelo, ſpes aliqua ex *Fraternitatis* illius nova panacea affulget: ſed quam locus vel ſedes ipſius incognita difficilem reddit: non parcam tamen ſumptibus, dum aliquid certius & ſalubrius impetrem. *San.* Facit moleſtiſſimus tuus morbus, ut vel præſente ſanitate trepidem, & Fratres illos conquiram, quorum in manu tam ſanitas eſt, quàm longævitas, ſi ſubſcriptionibus credimus: miror tamen duritiem hominū, in ea præſertim Chriſtianæ charitatis jactantiâ, qua medicinam ſuam non dicam promiſcuæ turbæ, ſed ſelectiſſimis hominū invident, nec multis etiam

etiam singultibus vocati, comparent. *Aeger.* Ajunt habere sua oracula, quæ moneant, quibus opem debeant, vel negare possint: dein temporis maturitatem nondum adesse, sive silentij sacri finem. interim ego crucior. *Sa.* Quid autem dicemus, habere ipsos talia ex relatione, an aliqua humanâ indagine impetrasse? quòd si enim à Deo habent, licebit & nobis orare: sin industriâ suâ, quid itidé in nobis prohibet, idem tentare? *Aeg.* Ah noli mihi ea tentamina in mentem revocare, quibus ego corpusculum meum hocce substravi! atq; heu nostrum Medicum! *Med.* Benè sit tibi! *Aeg.* Utinam! utinam etiam per te liceat esse! *Med.* Crede mihi, si meo imperio res ageretur, jam dudum abegissem morbum: sed humani corpusculi maior est infelicitas. quàm quæ arte aliqua terrenâ corrigi, vel mitigari etiam interdū possit. Maius enim peccatum, & virulentius venenū est, quàm quod pharmacis cedat: morti q; imperium fortius, quàm cui manus medica resistat. Itaque non nisi sub Deo natu-

ram adhibemus, quæ uti & ipsa servit, ita voluntatem Dei ac consensum expectat, atque exequitur, dissentienti cedit. *Aeg.* Hæc tria effugia sunt, ne quid simile Rosicrucianis exhibere cogaris. *Med.* Ejice per Deum hanc animo ineptiam, ut credas his terris datam medicinam, quæ imperante etiamnum peccato, & irritato quotidie Deo, tum irrationabili hominum vita, denique senescente Mundo mortalium genus debitis pœnis, & sententiâ Dei eximat, & in voluptuarium aliquem paradisum restituat, cùm ne sub flagellis quidem simus tractabiles. *San.* Quid agimus? *Med.* Tu sanitatem tuam sobriè curato: ille morbũ sanis consilijs mitigaverit.

XIX.

Vagans, Desiderans, Expectans.

Vag. Quò nunc eam? Fui Francofurti, fui Lucernæ, fui Amsterodami, fui Lipsiæ, fui Rostochij, & quocunq; jussus sum ire, nec id hominum genus fortunatum reperi. *Desid.* Supersunt itaque ipsæ Fortunatæ Insulæ, vel

vel, quod tutius est, Fessa, Damcar, atque ea omnino loca, ubi enatum est hoc miraculum. *Vag.* Hæc faciliùs dicuntur ac citiùs, quàm fiunt. quid enim si in proximo sint, nolint tamen videri? quid si videri possint, nolint tamen cognosci? quid si cogniti etiam evanescant, & dispareant? ego cum vitæ periculo trans mare curram? *Desi.* Quod si mica humanitatis ijs inest, nõ patientur tot labores, itinera, desideriaque esse frustrata, ne dum nostris capitibus noxia. Certum est autem huic negotio immori. *Vag.* Hæc me una molestia propemodum enecat, quòd passim iniquos, passim duros fraternitati, quàm plurimos verò eius contemptores & neglectores reperio, ut jam penè sordidum ac infame, imò & periculosum sit eã inquirere. Dum igitur mussito, dum alij ambiguè respondent, dũ aliqui etiam falsè rident, perit tempus, deteruntur calcei, diffluunt nummi, crescit hæsitatio. *Exp.* Quem ego hunc hominem dicam? mirum, nî ex erraticis illis stellis sit, quæ paupertatis

irregulares periodos faciunt. *Vag.* Salutem tibi precor. *Expe.* Tibi sanitatẽ. *Vag.* Et felicem motum. *Expect.* Ac debitam quietem. *Vag.* Nihil apud vos rari, miri, cari? *Exp.* Certè. Vir sapiens, rarus: vir pius mirus: vir bonus, carus. *Vag.* Non hoc volo: sed annẽ hæc terra nullos alat Heroas? *Expe.* Si jactantiæ credimus, plurimos. *Vag.* Non me capis. Non inter vos aliquis Naturæ Magister est? *Exp.* Quid ni sit, qui Deum credimus? *Vag.* Nondũ mihi accedis. Estnẽ vobis insolitus aliquis artifex? *E.* Utiq;, ut qui nuper ex fimo fecit aurũ. *Vag.* Hem quid ais? hem! *Exp.* Quasi id tuis agricolis incognitum sit. *Vag.* Illudis: sed aurẽ, quæso, porrige: *Nihílne Cruciroſiani inter vos eſt?* *Expect.* Vah delirum caput, sive potiùs miseros pedes! qui huic indagationi & conquisitioni serviunt. *Vag.* Nihil tu impendes negotio tam necessario, tam maximi fœnoris? Nam si semel impetravero, quod volo, omnis labor, omnis fatigatio abunde adæquata sunt. *Exp.* Non verò eius es pătientiæ, ut domi consi-

deas,

deas, illosque expectes fratres: sed occurrendum ijs est, etiam eâ viâ, qua fortasse minùs adventuri sunt. *Vag.* Videant meam promptitudinem, & æstiment. *Exp.* Infelicem equidem tuam sortem, qua in terra circumageris, ut nec tibi servias ipsi, nec in rem communem aliquid conferas. *Vag.* Id fiet, cùm metam attigero. *Expect.* Eam scilicet, quæ in circulo est, atq; ibi incipit, ubi desinit.

XX.

Atheus, Superstitiosus, Christianus.

Atheus. Enimverò terriculamentorum nobis satis fecit Religio, quæ fascino veluti homines, quoquo vult, trahit, ut jam parùm opus habeamus Rosaceis illis fratribus, quî novas fabulas adferunt. *Superst.* Semper mihi ea spes animo sedit, fore, ut iterum redeamus ad illam virtutem miraculosam, quæ hoc tempore defeciſſe visa est. hanc si nobis restituunt, uti palàm exempla in medio sunt, pœnitebit te,

quod scio, petulantiæ tuæ, vel temeritatis, qua omnem religionis reverentiam elevas. *Ath.* Quin imò laudo tuam meticulosi atem, qua unius speciosi commenti horrore ad quodvis servitium adigeris, ita ut vel pictū cœlum omni cultu ambias, pictumque infernum quovis lytro effugias. *Superst.* Ecquis verò eius sit impudentiæ, cum viderit Naturam superari, & è cœlo quasi res sacras & stupendas demitti, fortuitum aliquid & planè humanum dicere ausit? quod quia in fratribus hisce frequentissimum est, quis non colat & veneretur eos, quos constat creaturis omnibus dominari, vires possidere naturales & præternaturales omnes, amicos bonorum, hostes malorum spirituum esse, atque revera hominis in terra Monarchiam occupasse? *Ath.* Quàm tu suaviter nugaris, velut ex Elysijs campis cum Ænea, aut è Paradiso cum Mahomete reversus! *Christ.* Quid huic homini cum Mahomete rei est? *Superst.* Placet adventus tuus, ut huic mecum impietatem in Sanctos Rose-

Rosecrucios exprobres. *Christ.* A-page mihi Sanctos novos crees, qui vix Pontificios illos relegavimus. *Ath.* Ha ha he? habes, quod voluisti? *Chr.* Non minus tamen verè sanctos in cœlis honorabimus, & vitâ nostrâ, quantum licebit, æmulabimur. *Ath.* Ergo aliqui tibi Sanctuli supersunt? *Chr.* Ac ille Sanctus Sanctorum maximè, qui cor tuū & subinde ferit, & oculos tuos stringit, & conscientiam pungit, quicquid dissimules, aliquando hoc impurum os comminuturus. *Ath.* Valde minaris. *Chr.* Imò cœlum & terra minas suas contra te habent, quas nō effugies, nisi resipiscas. *Ath.* Mirum, nî frater Rosecrucianus sis, cælorū terrarumq; conscius & particeps. *Chr.* Valeant illæ nugæ, & quicquid à Dei Verbo ad curiositatis ambages abducit. *Sup.* Imò hoc verbū urgent, & divino planè modo explicant. *Chr.* Nihil huius rei nisi mera jactantia lucē vidit, dum interea varij & diuersi histriones maximâ temeritate & religioni, & rei Christianæ monstrosissimâ pietate, verius impie-

tate certissimâ illudunt. *Su.* Weigelianos tu intelligis. *Christ.* Viderint, quicunq; ecstases, separationes, abstractionesq; somniant, qui miris phrasibus omnes Fidei articulos turbant, qui horrendas opiniones sine ullo Dei testimonio obtrudunt, qui è centro ad omnes scientias se egredi jactitant, qui in omnes bonos & fideles Dei sunt maledici, quomodo suæ primum conscientiæ, dein Dei judicio satisfaciant.

XXI.

Decoctor, Avarus, Frugalis.

Decoct. Jam exaruerat voluptatũ mearũ fons, & lurida illa osseaq; pauperies, cumque pauperie infamia, cumque infamia labor, cumque labore dolor, & quæ alij maleferiati comites ingratissima quæque minitati fuerant, & ecce! euge Fratres opulentissimi adveniunt, quibus exiguum est, me in integrum restituere. *Avar.* Tunè ausis fratrum expectare opem, quos ne Deus quidem siverit tam pertuso & diffluente dolio quicquam infundere?

dere? Ego verò qui rei domesticæ angustiâ coarctatus, perenni labore meã infelicitatem sustinui, & reculas aliquas contra fortunæ iram vel perfidiam collegi, magna confidentia Fratres expecto, qui parsimoniæ meæ feliciter aliquandò aspirent. *Dec.* Nunquam inclementius egerint, quàm si quicquam opibus tuis addant. quò enim plus habebis, eò indigebis amplius, eò esuries sitiesque ampliùs, eò premeris & cruciaberis ampliùs, eò te abscondes ab omni hominum usu & jucunditate profundius. *Ego* verò, qui universitate hominum me natum credo, id ago, ne quid unquam in manus incidat meas, quod non Reipublicæ sit vel fiat commune: unde amicorum & sociorum maiores mihi turmæ sunt, quàm tibi domestici. *Frug.* Omen esse dixero, quod simul in prodigum & tenacem incido. *Decoct.* Evax, commilito, quò imus, ut bibamus? *Fr.* Ergóne nummus tibi supereſt? *Dec.* Integri thesauri. Præterquam enim quod prædictum mihi est, fore, ut hu-

ius Euclionis bona omnia mihi cedant. *Avar.* Patibulum, laqueus, corvi. *Dec.* Fraternitas illa Crassi, Crœsi, Chryseæ spem certam fecit aliquot talentorum vel minarum, vel unciarū optimi probatissimi auri. *Frug.* Varius es, ut minùs de tuâ futurâ opulentiâ sperem? quin potiùs relegatâ tuâ perfusione id impetras quòd te convenienter nutriat, decenter vestiat? *Decoct.* Laborando? quod nolim. *Frug.* Orando, laborando, conservando, partiendo, ornando. *Decoct.* Nunquam in hoc ludo sum edoctus. *Avar.* Quin tu hunc desperatum negligis? *Frug.* Nescio, uter è vobis deterior, tu certè videris infelicior. *Avar.* Ego, qui res meas ago, atque augeo? *Frug.* Ita tamen, ut semper egeas, etiam conscientiâ, & bonâ mente. *Decoct.* Bibamus. *Frug.* Vivamus. *Avar.* Habeamus. *Frug.* Certè ut ille nunquam vult vivere, ita hic nunquam mori. *Decoct.* Vivam, cùm Fraternitatis convictor ero. *Avar.* At ego eorum liberalitate opes meas termino. *Frug.* O Insanos, qui ab ullo

alio

alio homine dubij expectatis, quod à vobis certissimè impetraretis. nam sub frugalitate nihil vitæ compositæ deesset, nihil supereſſet etiã luxuriæ, quàm vobis suadebunt illi fratres vestri, si frugi sunt.

XXII.

Assentiens, Philautus, Contentus.

Asſent. Quàm unquam referemus satis dignã gratiam ijs, quorũ instructione oculos in hoc theatro mundi circumferimus eruditos, rationabiles, methodicos, ut sciamus & dijudicemus, quicquid in his terris nobis voluerit Deus concreditũ. *Phil.* Si quid ego debeo, Naturæ debeo, quæ sine alio magistro me ad sua penetralia indolis felicitate & sagacitate intromisit. Nã cũ se altiùs semper ferret, aut profundius demergeret etiam meũ ingeniũ, quàm pædagogorũ hebetudo viã facere posset, factũ esse opinor, ut Fraternitati illi placuerim, quæ & humanissimis literis me ad se invitat, & arcanorum omniũ

communicationem ſponte offert. *Aſſ.* Itáne tu credis, ſupereſſe abſtruſius aliquid, magísve reconditum, quàm Præceptores noſtri eruerunt? *Philau.* Vah ſimplicem hominẽ! qui neſcis, quàm illi homunciones ſupremum tantùm corticem ſepultæ veritatis dilexerint: nobis verò, ad hanc ſeculi felicitatem natis ipſas fibras & medullam omniũ artium diſciplinarumq́; reſecandas & introſpiciendam reliquerint. cuius rei exemplum ſeptem nova mundi miracula habes, quantũ interſit cœlum terræ jungere, ut incredibilia perpetrentur. *Con.* Omnes morbos ſi non ſanabiles, certè tolerabiles præ philautia crediderim, quæ vnà minùs medicinam patitur, quàm phrenitis: ſibi verò relicta omnia obiecta & ſubiecta inficit, & maximam ſtragem. Sed hem ne quid in propinquo ſit. *Phil.* Jam dudũ Mundi noſtri errores & incommoda conſignaverã, & media ipſe meditatus erã rebus accommoda, etiam antequã fraternitatis fama exaudita eſt: nunc tamen nihil impedio, etiã ſuam ſententiam

tiam aperiant, quã præſagio non multùm â mea mente abfuturã, ut quæ eodé regatur, dirigaturvé ſpiritu. *Aſſ.* Non capio tua magnifica verba. *Con.* Ego tamen conjicio hunc, ex ijs eſſe, qui media literaturâ, & mediocri ingenio, intermixtis etiam ſomniis aliquos rerum humanarum nævos aggreditur; quos tamen nec planè intelligit, nec ullâ parte ſublevare poteſt, ex eorum numero medicus, quorum pharmaca ſunt acerbiora morbis quorumque inanis loquacitas ægro caput afflictum ampliùs turbat. *Phil.* Hic etiam mihi annotandus. *Cont.* Quæſo his notis me conſigna: Eſſe hominé, qui longâ experientiâ didicerit, plæroſq; rerum noſtrarum examinatores ita ſapere, ut ſi corrigendæ ipſis committerentur, futuræ ſint adhuc longè deteriores.

XXIII.

Spermologus, Mataeologus, Theologus.

Spermol. Quiſquis dixit Mundum agere hiſtrioniam, rectiſſimè dixit. nam

nam tragico apparatu,& verborum cothurnis omnia foris constant: intra aulæa omnia neglecta, con usa solutaque sunt: ita ut mihi interdum à risu vix temperé, cum homines terrefaciendi sunt. nam qnî dicam me missum, cùm ipse cucurrerim:? quî insector Mundũ, quem colo? quî maledicam ventri, cui servio? quî aurum contemnam, quod vitâ charius? qui crucé & mortè commendem, à quibus abhorreo? quî cœlum pandam, cum quo nihil est commune? & tamen verborum ea est vis, ut, quod vident mihi displicere, aliis persuadeam: quod placere mihi conspicuum est, alijs invisum reddã. *Mat.* Mirum est hoc politissimo seculo tolerari etiamnũ simplicem Theologiam, quæ nõ nisi in litera hæret, spiritus verò nihil degustat, nihil ad mystica involucra penetrat. Utinam verò Origenes aliquis nobis redderetur, qui triplicem Scripturæ sensum nobis aperiret, & tabernaculi vela detraheret, vel sigilla libri clausi reseraret! tum demum sacras literas legere juvaret. *Sp.* Túne ille, qui

le, qui mera nox es? *M.* Túne ille, qui mera vox es? *S.* Túne ille divinator? *M.* Túne ille imitator? *Th.* Quàm ſimiles habent labra lactucas! Benigniſſime Chriſte, quàm periculosũ eſt ſub mercenario, & fanatico vivere! nam dum alter, quam emit, ſtationem varia levitate deturpat; alter, quæ habet, ſomnia, ſimplici veritati ſupponit, infelix grex ſemper habet, quæ doleat, deſideret, hæſitet. *Sp.* En noſtrum Cenſorem, noſtrum criticum, quem ſi ſequimur, honores obſcuritate, vinum aquâ, voluptatem cruce commutamus. *M.* Condonandus hic ei error eſt. Peccat enim ſimplicitate, ne quid ruditatis inſimulem. *Th.* Placet judicium, ac, ut ſimplicitatis cuſtos ſim perpetuus, Chriſtũ oro. at vos dum duplici animo, ore Deum, corde mundum, linguâ Chriſtum, manu Mammona, vultu ovem, ventre lupum refertis, dum charta ſpiritũ, ſparta irritum, voce flamen, prece flumẽ, verbis apes, herbis dapes appetitis, nullo dubio fraternitatis illius figmẽtum excitaſtis, vel certè ad auxiſtis, cùm Eccle-

ſia à

sia à vobis aggravata facilius audiat, ñ qui compositiorem vitam,& sanctiora verba promittant. Hinc vulgus inter scandala & nugas medius aures pandit, ac ineptissima quæque, ne dicam periculosa & noxia intromittit: hinc conscientiosi vos linquentes nuspiam satis tutò consistunt: hinc cordati vobis contradicentes alibi involvuntur: hinc sagaciores à vobis circumducti, rerũ universitati diffidunt: hinc servi Christi à vobis exagitati, nisi Spiritu Dei idemidem roborentur, colliquescunt.

XXIIII.

Politicus, Tyrannus, Rex.

Polit. Cùm nullum sit animal homine lubricius, nullum etiam vinculis constringitur difficilius, aut continetur. Vnde qui nescit ex omni subjecto facere nodũm, aut catenæ illius Politicæ articulum, frustra homines tractare in animum inducit: at qui Regulam *rationis status* probè tenet, & per omnia exẽpla dextrè adhibet, is demũ mortalibus imperat. *Ty.* Eho, an nescis, vim

vim & minas satis esse ad frenandos, quantúmvis indomitos, populos, ut contra Potentis rerum voluntatem & nutũ nemo hiscere audeat: sed ad præceptum & iniunctum omnes se inclinent atq; accommodent. *Polit.* Haud equidẽ satis est violenter homines invitos cogere, qui facilè alicubi erumpunt, ac patientiam læsam in furorem convertunt, nisi artes adsint blandæ, ac velut poppysmata, quæ generosas naturas refrigerare queant. *Rex.* Quò me diutius Deus sub imperii habenis exercet, eò plus video opus esse cœlesti adjutorio, pervigili curâ, religiosâ prudẽtiâ, humanitate Christianâ, modestiâ philosophicâ, temperantiâ civili, atq; omnino supremi Numinis æmulatione. Nã cùm tot tantaq; hominibus insint dubitandi, hæsitandi, reprehendẽdi, mutandi, indagandi, expectandi, repugnandi, ludendi, conquerendi, objecta, tam ampla dissentiendi materia adsit, qualia unicum Fraternitatis nescio cuius figmentum elicuit: supra hominem sit oportet, qui perfectè homines regat, quod

quod sanè nec Politicus aliquis vertumnus, nec violétus aliquis exactor impetrabit, cùm illum Deus rideat. hunc habeat exosum, utrumque eludat & præcipitet. Sed qui vero in Deum cultu, vero in homines amore, verâ apud se tranquillitate: sed omnino S. Spiritus afflatu ita hominibus officia distribuit, ita officia exigit, ita officia temperat, ut maxima pars subjectorũ Christo lucrifiat, de reliquo commodè & rationabiliter habeat ac vivat: sed etiam ingenio linguaque ita utatur, ne quid exorbitent quidem petulanter: nec tamen sub minis & carceribus murmurare, mussitare, sibilare, nutare, aut quovis alio occulto modo dolorem suũ justum, reiq; indignitatem atque turpitudinem explicare, delineare, effingere & circumscribere habeant necesse. Ita nobis Deus det vera, bona, sana, rationabilia! falsa verò, fucata, frivola, vana, impura, improba, noxia nostris finibus quàm remotissimè arceat!

XXV.

XXV.

Fama, Obstinatus, Resipiscens.

Fama. Satis superq; hominibus illusum est, liberemus tandem constrictos, confirmemus fluctuantes, erigamus lapsos, revocemus transversos, sanemus morbidos. Ehem, Mortales! nihil est, quòd *Fraternitatem* expectetis: *fabula* peracta est. *Fama* astruxit: fama destruxit. Fama ajebat: fama negat, quicunq; estis, sive *curiosi, sive supini. sive scrupulosi, sive securi: sive mobiles sive immobiles: sive Astrologi, sive Calculatores: sive queruli sive defensores: sive circulatores, sive agyrta: sive mendici, sive impostores: sive hypocrita. sive impij: sive Scriptores, sive Lectores: sive otiosi, sive laboriosi: sive faciles sive difficiles sive admiratores sive contemptores: sive credula sive suspicaces: sive audientes, sive videntes: sive deformatores, sive reformatores: sive stolidi, sive barbari: sive agri sive sani: sive vagantes sive desiderantes: sive athei, sive superstitiosi: sive decoctores, sive avari: sive assentientes, sive Philauti: sive spermologi, sive Mataologi: sive Politici, sive tyranni: sive obstinati sive Resipiscentes,* quæ res bene vertat, mihi & vobis, spectatores, plaudite. *Ob.* Abiit illa: nos quid agimus? *Resip.* Quid, nisi posthac sapiemus, quotquot turpiter desipuimus. *Obst.* Siccine tot speciosa & verisimilia verba nihil sint? *Res.* Ita *fama* ait. *Ob.* Siccine

hæc

hæc devotio & modestia imposuerit? *Res.* Ita fama ait. *Ob.* Siccine tot testes & adstructores fide digni fefellerint? *Res.* Ita fama ait. *Ob.* Siccine tot nasutissimi sint decepti? *Res.* Ita fama ait. *Ob.* Nihil agis, ô fama revocans, quæ id agis, ut speratam felicitatem mihi eripias: quin imò verberibus, ne dum verbis me haud abiges. *Re.* Nescio, quàm me fama totum immutavit, ut eijcere hanc animo expectationẽ incipiam: hæc tamen una cura me coquit, quòd nõ bene & accuratè distingui inter ea scripta, quæ fraternitatis nomine prodiere, suspicor. Sunt enim aliqua palàm ludicra, aliqua intricata, aliqua nequã, aliqua subdola, aliqua tamẽ pia & devota: omnia literaturã aliquam, nonnulla summam, unũ alterúmve apertam imposturã, redolentia: quæ quisq; confundit, aut eiusdem genij æstimat, nullo dubio fallitur. Sic enim probaretur Mundus, rejiceretur Christus; laudaretur vanitas, culparetur soliditas; æstimaretur impostura, negligeretur ratio; ornaretur mendacium, despiceretur veritas. Itaque ut fraternitatis ipsam societatem quidem mitto, nunquam tamen veram *Christianam fraternitatem*, quæ *sub Cruce Rosas* olet, & à mundi inquinamentis, confusionibus, deliriis, vanitatibusq́; se quàm longissimè segregat, dimisero; sed ad eam cum quovis pio, cordato, & sagace ineundam aspiro. *Obst.* Nemo mihi persuadeat, hanc societatem nõ summis donis ornatam, optimis legibus constitutam, felicissimis

simis opibus firmatam esse, ut nihil opus sit, nos jejunam aliquam & debilem, tentare. *Resp.* Vivamus sub Christo, qui satis abunde nobis præscripsit, quid DEO placeat, animæq; expediat. Intereà miremur 1. humani ingenij infinitatem, quod ausus, conatusq; habet innumerabiles: 2. occultam mortaliũ renitentiã, quæ sub acquiescentiæ involucro latitat, rodit, atq; per varias rimas exitum tentat: 3. curiositatis temeritatem, quæ ad quævis incognita, si præconium adsit, semet offert: 4. calami impudentiã, qui dissimulato habitu nihil non effutit, & impunitatis spe planissimè bacchatur: 5. otij pericula, sub quo animus varijs ineptijs ac fabulis occupatur, & ab humanitatis verò officio abstrahitur: 6. paupertatis etiam inventiones, quibus, se fami & infamiæ opponit, ac ad præcipitia usq; semet adigit: 7. intempestivum quorundam Zelum, vel præcocem etiam ingenij ostentationẽ, qui incognita etiam nõ sine lúdibrio suo judicare conantur: 8. hominum mobilitatem, quibus facilè consueta sordent, & nova, quantumvis monstrosa, arridենt: 9. Nugarum rerumq; vilissimarum incrementa, quæ scintillam in maximum incendium convertere possunt: 10. judiciorum de rebus nostris multiplicem dissensum, etiam inter eos, qui maximè sub eadem Religione & Politia, imò sub ijsdem regulis consentire videntur: 11. Artium, & scientiarum in multis exilitatem, quos vulgus summos Sophos arbi-

tratur: 12. Reformationum quàm plurimarum inanitatem, quæ verbis potiùs, quàm opere constant: 13. Veritatis cũ opinione conflictum, eiusdemq; sub sagacitate passiones, sub simplicitate victoriam: 14. maximè confidentiæ lubricitatem, & rerum in Mundo prægrandium debile fundamentum: 15. bonitatis & rectitudinis apud quàm plurimos igniculos, qui sub consuetudinibus quasi sepulti latent: 16. Societatis humanæ vulnera opinione potiùs, quàm necessitate constantia: 17. Regni Christiani paradoxa, rebus & moribus mundi toto cœlo contraria, & si quæ alia in mentem venient, quæ, dum hæc Comœdia agitur, observare licet. *Ob.* Certus sum, operiri *Fratres*, & judicium de ijs meum suspendere, aliorum negligere. *Resp.* At ego, sive sint, sive nõ sint, dum nõ esse magis suspicor, ut ipse sim *Christi* & optimi cuiusq; Christianorũ *Frater*, contendã: Religionẽ colã Christi: Politiam reverebor Christi: Scientiam amabo Christianã: mores amplectar Christianos: rosis perfruar Christianorum: *Crucem* feram Christianorum: *Ordinem* tuebor Christianitatis: disciplinæ parebo Christianitatis: vivam Christianus, moriar Christianus, eritq;, ut cum ijs loquar:

IESVS MIHI OMNIA.

1386-587